



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Qvæst. I. De ente ratio[n]is.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

Resp. negando Logicam esse necessariam antecedenter ad se ipsam, sicut est ad alias scientias necessaria. Disparitas manifesta est, quia Logica per se ipsam formaliter scit se scire, alia scientia non hoc habent nisi ab ipsa Logica: unde Logica formaliter sibi sufficit ad sciendum perfectè, alia hoc habent à Logica. *Quod autem est essentialiter tale, est se ipso tale.* Aliorum responsio de Logica directa, seu imperfecta, quæ necessaria est ad se ipsam reflexam & perfectam, obscurior est, & difficilior.

Secunda obiectio.

Obiicitur secundò. Logica non est acquisita nisi per reflexionem super actus rectos: ergo est posterior aliis scientiis acquisitis, atque aded ad eas acquirendas non est necessaria.

Resp. distinguendo maiorem. Logica non est acquisita nisi per reflexionem super actus rectos perfectè scientificos, nego; super actus rectos imperfectè scientificos, concedo. Ideo Logica est acquisita post alias scientias imperfectè acquisitas, sed acquisita est ante alias scientias acquisitas perfectè; quia qui primos illos actus eliciebant, sciebant rem, sed non sciebant se scire.

Instantia.

Instantis: actus imperfectus gignere non potest perfectum habitum scientia: isti actus erant imperfecti: ergo gigni per eos non potuit scientia Logica nisi imperfecta.

Resp. actum imperfectum non posse gignere habitum scientia perfectum, ita ut sit causa illius adequata, sed posse gignere tanquam causam inadæquatam, & conditionem sine qua. Per vim intellectus ut causam non potuit gigni Logica perfecta: non fuit acquisita perfecta scientia per actus illos ut causam adequatam, sed per illos ut prævias conditiones, quibus positis, intellectus vi sua naturali se extendit, & perfectam peperit scientiam.

Tertia obiectio.

Obiicitur terriò. Intellectus per vim suam naturalem potest se reflectere supra suas operationes, & videre, an illæ rectæ sint; sed hoc sufficit ut sciamus nos scire: ergo ad hoc ut sciamus nos scire, necessaria non est Logica artificialis.

Resp. distinguendo maiorem, intellectus per solam naturæ vim potest reflectere se supra suas operationes, & videre an illæ rectæ sint, perfectè id sciendo, nego; sciendo imperfectè, concedo. Nunquam enim id perfectè sciet sine Logica artificiali, cuius hoc est munus proprium.



DISPUTATIO II.

De iis, quæ iuvant directionem primæ mentis operationis.



VM tota Logica, ut dixi hætenus, circa directionem occupetur trium mentis operationum, à prima mihi operatione, quæ apprehensio est simplex, video ducendum esse initium, cuius restitudo tribus eius vitiis repugnat: obscuritatem perspicuitas discutit, confusionem ordo componit, perturbationem regular distinctio eorum, quæ diversa sunt. Hæc tria ut assequi valeam, explicanda mihi: Primò, ens rationis. Secundò, prædicabilia. Terriò, prædicamenta.

R. P. de Rhodes curs. Philosoph.

QVÆSTIO I.

De Ente rationis.

ENS rationis merum nihil, & tamen aliquid: entis negatio, & tamen entis indutum vestimento: tenebrosum quid, & in ipso fonte luminis natum: partus rationis se ipsam fallentis, figmentum mentis ludentis in nihilo, spectrum informæ formam habens in sinu intellectus. Nascitur dum cogitatur, cum ipsa sui cogitatione moriens, cum eadem sine miraculo resurgens: pingitur sine coloribus, imago sine prototypo, nulli similis nisi sibi. Agere de illo Metaphysici magis est muneris, quàm Dialectici, quia entis realis larva, & aduersarius est. Vindicat sibi tamen illud Logica, & quatuor de illo tradit. Primò, eius existentiam, seu an sit. Secundò, quidditatem, seu quid sit & quod sit. Terriò, à quo fiat. Quartò, per quam fiat actionem.

SECTIO I.

De existentia entis rationis.

CERTUM est primò, significari nomine *entis rationis*, aliquid pendens ab intellectu, qui solus ratio est. Potest autem aliquid ab intellectu pendere quadrupliciter. Primò, subiectivè, cuius subiectum est intellectus; sic enim actus & habitus inhereant intellectui ut subiecto. Secundò, effectivè, cuius causa productiva est intellectus: ita etiam procedunt ab intellectu omnes eius intellectiones. Terriò, denominativè, quod ab aliquo denominatur actu intellectus, ut cum aliquid denominatur propositio, syllogismus, &c. Quartò, obiectivè, quod obiectum intellectui, seu quod ab eo cognoscitur.

Quadruplex significatio entis rationis.

Certum autem est secundò, quod ea quæ obiectivè sunt in intellectu, in duplici possunt esse differentia. Primò enim aliqua ita sunt obiectivè in intellectu, ut habeant à parte rei suum esse, saltem possibile, quod representatur intellectui; & hæc entia realia sunt. Secundò, aliqua sic cognoscuntur ab intellectu ut nec habeant, neque habere possint esse à parte rei, sed solum dicantur esse quatenus cognoscuntur ab intellectu, quorum scilicet totum esse est cognosci. Hæc sunt quæ propriè vocantur entia rationis, & quaritur, an sit aliquod huiusmodi ens, quod sic fingatur ab intellectu, ut totum esse illius sit cogitari, & obiectum rationi.

Esse obiectivè in intellectu.

Dico primò, dari plura huiusmodi entia nullo modo realia, & purè non entia, quæ solummodo per modum entis cognoscuntur. Hæc est communis sententia, quam immeritò improbant Mirandulanus, Mayronis, Vallesius.

Affertio prior.

Ratio est, quia constat experientià, quod à nobis multa concipiuntur eodem modo ac si essent, quæ in se ipsis neque sunt, neque possunt esse. Chimæra enim & hircoceruus, neque sunt, neque possunt esse; & tamen concipiuntur ab intellectu eodem modo ac si essent. Illa sunt entia rationis propriè dicta, non enim habent esse nisi obiectivè in ipsa ratione, & concipiuntur quasi essent vera entia: ergo dantur propriè dicta entia rationis.

Probatio.

Dico secundò. Ens rationis propriè dictum non omni duntaxat caret existentia reali actuali, sed sterius.

Affertio posterior.

B 2 etiam

16 Philosophiæ Peripateticæ Liber I:

SECTIO II.

Quid sit ens rationis.

Probatio.

etiam possibili; aded vt verum ens rationis neque actu sit, neque possit vilo modo esse à parte rei. Contra Muradum *disp. 19. Metaphysica.*

Ratio est, quia ens rationis illud solum est quod opponitur enti reali: illud ens quod est possibile, omnino reale est, vt ostendam in *Metaphys.* actualis enim existentia est accidentaliter enti reali: ergo non fit reale per existentiam actualem, atque aded est reale antequam existat actu: ergo ens possibile non est ens rationis.

Prima obiectio.

Obiicitur primò: ens rationis est id quod non habet esse nisi dum cognoscitur: nullum datur huiusmodi ens: ergo non datur vllum ens rationis. Probatur minor. Illud non cognoscitur quod non est cognoscibile: solum ens reale est cognoscibile; veritas enim est proprietas entis realis: ergo ens rationis non cognoscitur. Imò, nulla est cognitio, quæ non supponat obiectum suum. Ergo non illud facit: ergo nullum est ens rationis, cuius esse totum sit cognosci.

Resp. distinguendo primam minorem, solum ens reale est directè ac primariò cognoscibile, concedo; secundariò & indirectè, nego. Illud dicitur primariò & directè cognoscibile quod solum sine vilo alio potest cognosci, vt cum cognoscitur à me homo. Illud secundariò tantum & indirectè cognoscibile est, quod non potest cognosci solum, sed necessariò cognosci debet ad modum alterius: ens rationis per se solum cognosci non potest, sed cognoscitur ad modum entis realis, vt ex sequentibus patebit. Fateor quod omnis cognitio supponit obiectum suum primariò à quo specificatur; non supponit obiectum secundariò ad quod terminatur tantum.

Secunda.

Obiicitur secundò. Implicat dari aliquam essentiam sine suis proprietatibus, genus sine speciebus, & speciem sine indiuiduis: si detur ens rationis, dari essentia poterit sine proprietatibus, genus sine speciebus, &c. tota enim essentia entis rationis est cognosci: sed potest intellectus considerare ens rationis in communi, & eius essentiam, non consideratis passionibus; dabitur ergo essentia sine proprietatibus, genus sine speciebus, species sine indiuiduis, si detur ens rationis.

Resp. distinguendo maiorem, implicat dari essentiam realem sine proprietatibus, genus reale sine speciebus, concedo; essentiam fictam, genus fictum, nego.

Tertia.

Obiicitur tertio. Illud habet aliquod esse à parte rei de quo dantur propositiones aliquæ veræ ac essentielles; de ente rationis dantur veræ propositiones essentielles, vt cum dico, *Ens rationis est finibile ab intellectu.*

Resp. negando maiorem; nam dari aliquando possunt veræ propositiones de ente ficto. Vt patebit magis ex dicendis *sect. 2.*

Quarta.

Obiicitur quarto. Illud est ens rationis quod habet tantum esse obiectiue in intellectu, ens illud quod non est actu, & potest esse, non habet actu esse nisi obiectiue in intellectu: ergo illud est verum ens rationis.

Resp. ens rationis esse illud quod neque actu, neque possibiliter habet vllum esse nisi solum in intellectu; si autem actu quidem non habeat vllum esse extra intellectum, sed habeat tamen esse possibile, nego illud esse ens rationis.

A

B

C

D

E

Certum est primò, ens rationis rectè definiri, vt ex dictis patet, *Id quod habet tantum esse obiectiue in intellectu.* Quod significat, ens rationis esse ens purè fictum ab intellectu; illud nimirum quod nec est, nec esse potest, & tamen cogitur quasi esset. Nihil enim potest cogitari ab intellectu, quin dicatur esse in intellectu, sed representatiue ac obiectiue. Quia vnumquodque dicitur esse in sua imagine, cum esse representatiue in alio non sit aliud quàm ab alio representari; cognitio autem imago est, & representatio rei cognita: ergo res cognita est representatiue ac obiectiue in intellectu. Ided, vt dixi, habere in intellectu esse obiectiue, est ab intellectu cognosci. Quia verò, vt notabam nuper, quædam ita sunt obiectiue in intellectu, vt extra intellectum habeant existentiam, vel actualem, vel possibilem; quædam ita cognoscuntur esse, vt extra intellectum neque sint, neque possint esse; prima esse habent in intellectu, sed non tantum, & realia sunt: secunda verò habent tantum esse in intellectu obiectiue, quia totum eorum esse, tum actuale, tum possibile est cognosci esse, & sunt entia rationis, idea purè ficta. Ided requiritur ad ens rationis vt fingatur aliquid, idest, vt aliquid cognoscatur esse, quod tamen nec sit, nec esse possit: hoc est habere tantum esse obiectiue in intellectu.

Certum est secundò, definiti etiam ens rationis, *Secunda definitio.* Non ens conceptum per modum entis. Quia scilicet solum ens obiectum est intellectus, vt constat ex *Metaphysica*, quod autem est purum nihil, secundariò tantum terminare potest cognitionem, quæ semper primariò terminatur ad ens; ideòque cum ens rationis à parte rei sit nihil, necesse est vt eius cognitio primariò terminetur ad ens, cum quo & ad cuius modum cogitur non ens, estque verum ens rationis, quia est non ens conceptum per modum entis, quod nimirum nec est, nec esse potest, & tamen cogitur esse quasi reuerà esset aliquid ens.

Posita ergo duplici entis rationis definitione, duplex manet difficultas. Primò, vtum ens rationis vt sic nihil habeat quod non sit omnino reale, an verò sit aliquid fictum, saltem vt est aliquid totum: secundò vtum denominationes extrinsecæ quælibet sicut vera entia rationis.

Dico primò, malè asseri ens rationis esse totum aliquid reale constans ex partibus realibus, quæ licet existere non possint eo modo quo intellectui obiciuntur, earum tamen vnio sit cognitio ipsa, non autem aliquid ex parte obiecti respondens illi cognitioni. Ita docuerunt hæcenus omnes Philosophi, quibus immeritò se opponit Herice *disp. 8. de Deo, cap. 1.* nouam excogitans sententiam pro qua citat Scotum *5. Metaph. q. 11.* & Conimbricenses *quest. 6. in præfationem Porphyrij.* Ad eam autem intelligendam

Obserua nullam esse cognitionem cui non cor-
respondeat aliquid obiectum; si enim cognosco, certè aliquid cognosco, quod dicitur obiectum cognitionis: vnde quando fit ens rationis, v. g. cum cogito chimæram, cognitioni huic responderet obiectum aliquid reale, natura videlicet naturæ bouis, leonis, & capræ; & præterea fictum aliquid, nimirum trium illarum naturarum vnio. Sed hoc tamen vltimum negat loco citato Herice, nouum aliquid, & prorsus improbabile commentum meditatus; negat enim cognitioni
tunc

Prima entis
rationis de-
finitio.

Secunda
definitio.

Duplex
controuer-
sia.

Ens rationis
habet ali-
quid quod
non est
reale.

Explicatur
sententia
Herice.

tunc meæ cum chimæram cognosco respondere aliquid fictum, sed asserit omnia realia esse, quæ illi respondent, naturas videlicet illas tres, quarum vnio non sit aliud quam cognitio, cui nulla ex parte obiecti vnio ficta respondeat, ex quo fieri necesse sit vt in ente rationis nihil sit quod non sit reale, partes scilicet reales, & vnio realis, nempe cognitio terminata ad illa plura per modum vnus, & ens rationis definit totum aliquod inexistibile prout obicitur menti, cuius tamen omnes partes, & earum vnio reales sunt.

Controuersia igitur solum est, vtrum cognitioni chimære reales partes & realis earum vnio respondeat, quæ ipsa cognitio ipsa sit: an verò respondeant partes reales & vnio earum ficta, omnino distincta à cognitione; & obiectum cognitionis, primum illud Herice asserit, ego secundum cum communi sententia intendo.

Ratio est, quia quoties cogitur aliquid impossibile, respondet huic cogitationi aliquid quod est extra latitudinem totius entis realis; sed quando cogitur ens rationis, v. g. chimæra, cogitur aliquid impossibile: ergo huic cogitationi responderet aliquid quod est extra latitudinem totam entis: ergo in ente rationis non omnia sunt realia, sed est aliquid fictum. Probatior maior: quoties cogitur aliquid impossibile respondet huic cogitationi aliquid impossibile, chimæra v. g. responderet cogitationi chimære: sed ens impossibile est extra totam latitudinem entis realis: ergo tunc meæ cogitationi responderet aliquid quod est extra totam latitudinem entis realis. Deinde illud inexistibile prout obicitur menti est aliquod impossibile; sed illud potest à me cogitari, saltem reflexè: ergo potest aliquid impossibile à me cogitari saltem reflexè, possum v. g. cogitare, inò & affirmare tenebras esse nigredinem: possum cogitare tres essentias animalium esse vnitas, & esse vniam chimæram; tunc haud dubie cognitio non est vnio illarum naturarum, quas cogitare possum etiam separatas: ergo quando concipio illas coniunctas, earum vnio non est cognitio.

Obicitur primò. Implicat vt ens representet non ens; nam illud quod representat aliud, debet esse illi simile: sed si fingatur ens rationis, erit necesse vt ens representet non ens: ergo implicat ens rationis eo modo fingi, sed omnia, quæ in eo sunt, realia sunt.

Resp. distinguendo maiorem, impossibile est vt ens representet non ens, representatione vera, concedo; representatione ficta, nego: nam ad hoc vt vnium verè aliud representet, requiritur vera similitudo; ad hoc vt representet fictè, non necessariò debet habere veram similitudinem, sed satis est vt habeat fictam similitudinem, in eo sicut quod intellectus ponat vnium loco alterius.

Obicitur secundò: si ens ponitur loco non entis, ergo nihil responderet cognitioni præter ipsum ens à quo specificatur cognitio, v. g. cum quis cogitat chimæram, totum quod responderet cogitationi est triplex illa essentia, capræ, leonis & draconis: ergo nihil est ibi fictum.

Resp. negando primam consequentiam, quia cogitationi tunc responderet ens, sed positum loco non entis, v. g. cum cogito tenebras per modum nigredinis, non sola nigredo responderet meæ cogitationi, sed nigredo posita pro tenebris; non tres solum essentiae animalium respondent cognitioni chimære, sed illa prout vnitas inuicem; sic enim sunt ens rationis.

Dico secundò, denominationes extrinsecas, si

R. P. de Rhodes curs. Philosoph.

A puræ sint non esse formaliter, sed fundamentaliter tantum entia rationis, quamuis si superaddatur eis fictio, esse possint entia rationis. Ita docent Suarez, Aueria, Hurtadus, Arriaga, contra Scotum, plures Thomistas, Vasquez, Masium, Tolertum. Antequam autem probem id quod asserui

Obserua denominationem extrinsecam appellari eam, quæ petitur à forma extrinseca, vt cum dicitur paries visus, homo subiectum propositionis; quod dupliciter enunciari potest. Primò ita vt concipiam visionem terminari solum extrinsecè ad parietem, & sic nihil omnino fingitur, & est pura denominatio extrinseca. Secundò ita vt concipiam visionem quasi aliquid inherens parieti, & sic fingo aliquid, nec est pura denominatio extrinseca, sed verum ens rationis. Hoc posito

Ratio est, quia illud est verè reale, in quo nihil continetur quod sit fictum, & quod non sit reale: huiusmodi sunt denominationes extrinsecæ si puræ sint. Quod probatur, quia in hac denominatione, *Paries est visus*, nihil est præter subiectum reale, videlicet parietem, formam realem extrinsecè terminatam ad parietem, & vnionem formæ huius cum subiecto. Hæc omnia realia sunt, non autem vllò modo ficta, quando copula *est*, non significat formam dominantem esse intrinsecam subiecto, sed extrinsecè terminari: ergo in ea denominatione nihil est fictum, sed omnia realia.

Deinde illud solum est ens rationis, cuius totum esse est cognosci: denominationes extrinsecæ non sunt huiusmodi, v. g. cum dico, *Paries est visus*, *Petrus est cognitus*, *Deus est Creator*, etiam si nullus intellectus cogitet videri parietem, Petrum esse cognitum, Deum esse creatorem, veræ sunt propositiones: ergo clarum est quod illa non sunt entia rationis. Verum est quod si nullus intellectus cogitet Petrum, verum non erit Petrum esse cognitum, sed verum tamen erit Petrum esse cognitum, quamuis nullus intellectus cogitet Petrum esse cognitum, atque aded non facio ens rationis, quando dico Petrum esse cognitum, quia hoc est independens ab eo quod cognoscam Petrum esse cognitum, alioqui quælibet cognitio esset ratio- nis, quia si nullus cogitaret intellectus, non esset cognitio. Esset autem cognitio ens rationis, si verum esset dicere quod cognitio non esset, si nullus cogitaret intellectus esse cognitionem.

Obicitur primò. Illud est ens rationis, quod habet tantum esse obiectiue in intellectu: denominatio extrinseca proueniens ab actibus rationis habet tantum esse obiectiue in intellectu, nam v. g. denominatio cogniti non habet esse in ipsa re cognita; sed neque habet esse subiectiue in intellectu, qui non dicitur cognitus, sed cognoscens: ergo habet esse tantum obiectiue in intellectu.

Resp. denominationes extrinsecas, quæ proueniunt ab actibus rationis, non habere tantum esse obiectiue in intellectu, nam v. g. denominatio illa cogniti habet esse subiectiue ac intrinsecè in ipso intellectu; in illa verò re, quæ cognoscitur habet esse denominatiue. Quando autem cognoscitur reflexè, tunc habet esse obiectiue in intellectu, sed non tantum.

Obicitur secundò. Esse cognitum est tantum esse obiectum, sed esse obiectum intellectus est esse obiectiue in intellectu: ergo esse cognitum est tantum esse obiectiue in intellectu: ergo cum dico *Petrus est cognitus*, facio ens rationis.

Resp. valde diuersas esse istas propositiones: Esse cognitum est tantum esse obiectiue in intellectu, seu nihil est aliud quam esse obiectiue in intellectu.

Denomina-
tiones ex-
trinsecas
reales esse.

Quid sit de-
nominatio
extrinseca.

Probatio af-
sertionis.

Prima obie-
ctio.

Secunda
obiectio.

18 Philosophiæ Peripateticæ Liber I.

Secunda est: Esse cognitum habet totum esse obiectivum in intellectu, seu est tantum obiectivum in intellectu. Prima vera est, altera verò falsa, quia est esse subiectivum ac intrinsecum in intellectu. In argumento igitur quod proponitur, probatur quod esse cognitum, est tantum esse obiectivum in intellectu, quod nemo negat; sed non probatur quod esse cognitum habeat tantum esse in intellectu obiectivum, seu sit tantum obiectivum in intellectu, quod est falsum, & non probatur. Vnde facile conceditur totum argumentum, cuius conclusio est: Ergo esse cognitum est tantum esse obiectivum in intellectu; negaretur autem si diceret, est esse tantum obiectivum in intellectu.

Instantia.

Instabis: res cognita ut cognita est tantum obiectivum in intellectu; ergo ut cognita est ens rationis.

Resp. negando consequentiam, quia ut aliquid sit ens rationis non satis est quod sit tantum obiectivum in intellectu, pro ut res cognita reduplicativè sumpta, sed oportet ut etiam pro ut sumpta specificativè sit obiectivum tantum in intellectu; quamvis ergo res reduplicativè ut cognita, sit tantum obiectivum in intellectu, non sequitur tamen quod sit ens rationis.

Tertia obiectio.

Obiicitur tertio. Illud est ens rationis cuius totum esse dependet ab intellectu; esse cognitum, esse subiectum, esse prædicatum omnino pendet ab intellectu: ergo illa sunt entia rationis.

Resp. negando maiorem, multa enim realia sunt, quæ omnino pendunt ab intellectu, ut sunt sunt cognitiones: ad ens autem rationis requiritur ut sit ens fictum ab intellectu, id est ut pendat ab intellectu aliquid fingente, ut dixi: denominatio ergo cogniti realis est, & tamen convenire potest chimæ, quia denominatio realis extrinseca convenire potest enti rationis, non denominatio intrinseca.

SECTIO III.

A quo fieri possit ens rationis: & per quam actionem.

ENS rationis cum non habeat esse reale, sed esse fictum, sic non potest habere causam à qua fiat per veram actionem, sed à qua fiat per fictionem. Primum ergo queritur utrum intellectus divinus facere possit ens rationis, deinde quam potentiam Angeli vel hominis illud faciant.

§. I.

Utrum divinus intellectus facere possit ens rationis.

Affertio bimembris.

DEO primum, intellectum divinum non facere ullum ens rationis, tamen reverà illud verè cognoscat speculativè, non autem practicè.

Prima pars negans fieri à Deo ens rationis.

Primum partem cum S. Thoma tenent Suarez, Vasques, & alij communiter: negant Arrubal, Albertinus, & pauci alij. Ratio tamen contra istos est, quia operationem habere quæ sit representatio difformis obiecto, est aliqua imperfectio: sed qui apprehendit non ens per modum entis habet representationem difformem rei representatæ ut est in se: ergo apprehendere non ens per modum entis est imperfectio, quæ proinde non convenit Deo. Minor videtur esse nota ex terminis, probatur maior: habere falsitatem imperfectio est, sed habere operationem difformem rei representatæ, est habere falsitatem aliquam, saltem incomplexam: ergo habere operationem difformem rei representatæ imperfectio est.

tem aliquam, saltem incomplexam: ergo habere operationem difformem rei representatæ imperfectio est.

Deinde illa non est prima & summa veritas quæ maior nulla potest excogitari, quæ veritatem non habet in omnibus suis operationibus, saltem iis quæ sunt simplices apprehensiones; illa enim veritas quæ veritas est tum in prima apprehensione, tum in iudicio, est maior eâ, quæ in solo iudicio est veritas. Deus est prima & summa veritas: ergo veritas est tum in prima operatione, tum in iudicio; si tamen in Deo est prima apprehensio, quod mox videro.

Altera ratio.

Denique Deus non potest facere ens rationis nisi per primam apprehensionem, vel per iudicium: neutrum facere potest, prima enim apprehensio, cum imperfecta sit, Deo convenire non potest. Iudicium autem haberet falsum si iudicaret faciendo ens rationis. Imò ens rationis tunc efficitur, cum id quod non est, iudicatur ac si esset: Deus non potest concipere id, quod non est, ac si esset: ergo facere non potest ens rationis.

Tertia probatio.

Secundam partem quæ asserit speculativè cognosci à Deo ens rationis, tenent Molina, Suarez, Auerla, Hurtadus: negat acriter Vasques 1. p. disp. 118. Antequam probetur

Cognoscitur Deus entia rationis.

Observa dupliciter ens rationis cognosci: primum speculativè, secundò practicè. Tunc speculativè cognoscitur cum cognoscitur ut factum, vel ut factibile ab alio, cum cogito v. g. te cogitare chimæram. In actu item signato cognoscitur cum cognoscitur aliquid esse fictum, ut si dicam, *Chimæra est ens fictum*. Tunc practicè, ac in actu exercito cognoscitur ens rationis, quando id quod non est concipitur tanquam ens reale sine ordine ad aliam ullam conditionem, quæ hoc finxerit, & hoc est facere ens rationis, cum propriè sit fingere. Dixi ergo ens rationis tamen posteriori hoc modo non cognoscatur à Deo, cognosci tamen priori modo.

Duobus modis ens rationis cognoscitur.

Ratio est, quia cognoscere speculativè tantum & in actu signato ens rationis non est illud facere, quod probatur, quia tunc non fit ens rationis quando nihil fingitur, sed cognoscere ens rationis speculativè, id est ut ab alio factum, non est excogitare illud, & fingere, tunc enim nihil fingitur quando omnia cogitantur ut reverà sunt, qui autem cognoscit ens rationis à me factum, vel qui cognoscit ens rationis esse aliquid fictum, cognoscit res ut reverà sunt: ergo nihil fingit. Confirmatur; sicut enim ille qui cognoscit aliam mentiri, aut falli, non propterea mentitur aut fallitur, ita qui cognoscit alium discurre, non discurret.

Deinde certum est nullam esse cogitationem creatam quæ à Deo non cognoscatur, & ad quam non concurrat: ergo Deus cognoscit eas omnes cognitiones quibus sunt à nobis entia rationis: sed implicat cognosci cognitiones illas omnes à Deo, quin cognoscantur entia rationis: ergo cognoscitur à Deo ens rationis. Minor certa est, quia cognitio pendet essentialiter ab obiecto ad quod terminatur, neque nominari aut cognosci potest sine illo.

Probatio secundæ partis.

Obiicitur primum, videri omnino quod facere ens rationis perfectio est intellectus, quæ propterea negari non debet perfectissimo intellectui divino. Sicut enim pictor ille qui pingere potest entia possibile, & impossibilia perfectior est illo, qui pingere non potest nisi possibile, ita & intellectus. Deinde multa sunt in Deo relationes rationis ad creaturas, v. g. scientia, decreta libera, &c. quæ omnia sine dubio Deus cognoscit.

Prima obiectio.

Resp.

Resp. negando quod facere ens rationis perfectio sit intellectus: de picture autem dispar ratio est, quia ille qui pingit impossibilia, non habet necessarium in se ipso ullam falsam operationem, cum non repræsentet impossibile ut impossibile, sed tantum secundum figuram externam, secundum quam est possibile. Intellectus autem faciens ens rationis falsam in se ipso habet operationem. Nego ullam esse in Deo relationem rationis, sed illam finguntur à nobis esse in Deo, quatenus sine illis concipi nequeunt à nobis ea quæ sunt in Deo. Deus autem sine relatione rationis illa cognoscit.

Secunda obiectio.

Obiicitur secundò, totum fieri & totum esse entis rationis non est nisi cognosci: ergo si Deus cognoscit ens rationis, illud etiam facit. Neque satis est dicere, quod fieri entis rationis est cognosci practice, non autem cognosci speculative, quo tamen duntaxat modo Deus illud cognoscit. Contra enim in isto primò. Per illam cognitionem fit ens rationis, per quam ens rationis est obiectivè in intellectu: per illam cognitionem speculative ens rationis est speculative in diuino intellectu: ergo illa sufficit ut fiat ens rationis à Deo. Deinde fieri entis rationis est non ens obici per modum entis: Deus cognoscendo ens rationis per respectum ad creatam cognitionem, obicit sibi non ens per modum entis: ergo per illam cognitionem facit ens rationis. Denique tunc ab intellectu fit ens rationis, quando illud accipit esse ab intellectu tanquam ab integra causa: sed per cognitionem illam speculative Dei, ens rationis accipit esse ab intellectu diuino tanquam ab integra causa; si enim intellectus creatus ad illud non concurrat proptèr est in intellectu diuino, ens rationis pendet à diuino intellectu tanquam ab integra causa: intellectus creatus non concurrat ad ens rationis proptèr est in intellectu diuino: ergo ens rationis tunc à Deo pendet tanquam ab integra causa. Imò si Deus cognoscit ens rationis factum ab intellectu creato, cognoscit illud ab æterno antequam ullus intellectus illud faciat: ergo ex se illi tribuit esse obiectivum, quod est illud facere.

Resp. verum esse quod fieri entis rationis non est nisi cognosci secundariò & speculative tantum, id est cognosci ut iam ab alio factum. Ad primam autem instantiam, quod per cognitionem speculative & secundariam ens rationis habet esse obiectivè secundariò tantum, quod non sufficit ad ens rationis, cuius esse est esse in intellectu obiectivè, sed primariò, alioqui non est factum. Ad secundam instantiam similis est responsio, fieri enim entis rationis est non ens obici per modum entis, primariò & practice, concedo; secundariò & speculative nego. Ad tertiam distingo illam propositionem: intellectus creatus non concurrat ad ens rationis, proptèr est in diuino intellectu, non concurrat ex parte illius obiecti, nego; non concurrat ex parte ipsius diuinæ intellectus, concedo. Id est intellectus creatus non efficit actum, quo Deus cognoscit ens rationis, sed efficit obiectum illius actus, quod Deus cognoscit ab æterno, ut factibile à creatura, neque tamen facit: sicut cognoscit omnia mendacia, quæ dicitur Petrus, neque tamen mentitur.

Tertia obiectio.

Obiicitur tertio, ens illud rationis proptèr cognitum à Deo, vel est ens reale, vel est ens rationis, nihil enim esse potest medium. Non primum, quia sic chimæra esset ens reale: ergo secundum, & sic fit à Deo ens rationis.

Resp. ens illud rationis proptèr cognitum à Deo esse reuera ens rationis factum fictum à creatura,

A non autem à Deo qui secundariò illud cognoscens, non illud facit, sed accipit factum à creatura; sicut quando Deus cognoscit tuum mendacium, vel tuum errorem, mendacium illud & error sunt verè mendacium & error in diuino intellectu, sed non mentitur Deus nec errat, quia cognoscit errorem ut factum ab altero. Denique fateor Deum habere posse conceptum rei falsæ, vel impossibilis independentem ab intellectu creato, quia ille simplex est dissensus, & Deus tunc nihil fingit: faciendo autem ens rationis aliquid fingeret.

§. II.

Quenam potentia Angeli, vel hominis facere possint ens rationis.

B Deo secundò. Solus intellectus, tum angelicus, tum humanus facere potest ens rationis, non autem voluntas, neque ullus sensus externus, vel internus, qui dicitur imaginatio. Quatuor partes conclusio habet, breuiter probandas.

Assertio quadriparsita.

Primò enim quod humanus intellectus officina sit, in qua cudentur entia rationis, experientia optima probatio est; ille enim non ens concipit ad modum entis, impossibile per modum entis, & obicit sibi omnis generis spectra, & monstra. De intellectu angelico video dubitari à quibusdam Theologis, sed immeritò, quia nulla est ratio proptèr quam angelicæ operationes non possint esse falsæ, atque adeò entia rationis.

Secundò, de sensu externo constans omnium sententia est, quod nullum ab eo fiat ens rationis, quia illa potentia non fingit ens rationis, quæ debet recipere ab eo species, antequam attingat obiectum: sensus externus nihil planè percipit, quin acceperit species ab obiecto: ergo non facit ens rationis. Adde quod ens rationis, ut dixi, est aliquid quod fieri etiam ab ipso Deo non potest: sensus nihil percipit, quod fieri à Deo nequeat, imò & quod factum non sit.

Sensus externus non facit ens rationis.

Tertio fieri ens rationis ab imaginatione docet. Nec imaginatio Suarez *disp. 54. sect. 2.* sed immeritò, quia nihil natio. Obiicitur imaginationi quod possibile non sit, atque adeò reale. Probatur, nam si montem aureum phantasia sibi repræsentet, ille factibilis à Deo est; si chimæram aut hircoceruum, sunt entia possible proptèr obiciuntur phantasiæ, quæ non attingit nisi figuram externam, compositionem substantialem essentialium totalium solus attingit intellectus. Certum autem est fieri posse à Deo animal figuram externam habens leonis, draconis & capræ, cum sæpè visa sint monstra figuram habentia partim hominis, partim bruti.

Quarto fabricari à voluntate entia rationis voluit Scotus *in primam disp. 45. quest. unica*, quem sequitur Herice *disp. 8. cap. 1.* Sententia communis hoc meritò negat, quia illa potentia non fingit entia rationis, quæ supponit suum obiectum; nam esse totum entis rationis est concipi, & cognosci: potentia ergo illa quæ supponit obiectum, non illud fingit: voluntas supponit obiectum suum, quia nunquam fertur in incognitum: ergo voluntas non facit ens rationis.

Nec voluntas.

Obiicitur primò, sensus externus, v.g. oculus, videt tenebras per modum nigredinis; quod est facere ens rationis, cum illud fiat ab intellectu eo ipso quòd eo modo apprehendit tenebras. Deinde fallitur sæpè oculus videndo procul rotundam turrim, quæ quadrata est; faculum fractum, qui est integer; colores in iride, qui nulli sunt. Denique

Prima dubitatio pro sensu externo.

illo potentia non supponit obiectum suum, sed illud fingit, quæ percipit illud aliter quàm sit: sensus apprehendit sæpe obiectum suum aliter quàm sit: ergo non illud supponit.

Resp. negando quod oculus tenebras videat per modum nigredinis, sed eo ipso quod nihil oculus videt, intellectus tenebras apprehendit quasi nigredinem, proindeque tunc non fit ens rationis ab oculo, sed ab intellectu. Verum est sæpe decipi oculos cognoscendo aliquid factibile à Deo, sed nego illum falli cognoscendo simpliciter impossibile per modum entis, quod tamen ad ens rationis exigitur. Sensus ergo externus reuerà decipitur, & licet supponat obiectum suum à quo fecit suas accipiat, non supponit tamen illud eo modo quo percipit, vnde non sequitur quod faciat ens rationis.

Obiicitur secundo, imaginatio reuerà fingit, si percipit res aliter quàm sunt; percipit autem res aliter quàm sunt: ergo fingit. Imò tunc imaginatio fingit, quando percipit negationes, quia illas concipit vt aliquid posituum; percipit autem negationem: ergo facit ens rationis.

Resp. imaginationem concipere rem aliter quàm sit, sed nego id sufficere ad ens rationis, nisi concipiatur ens omnino impossibile, quod imaginatio non facit. Negationes nullus sensus percipere potest actu aliquo posituum, sed tantum percipit subiectum, non percepta in eo forma, v. g. cognoscitur Petrus non percepta in eo loquutione, vbi nihil est fictum.

Obiicitur tertio, voluntas æquè facit ens rationis, & æquè fingit ac intellectus, quando fertur in bonum apparens & impossibile; quod probatur. Intellectus format ens rationis quando apprehendit ens impossibile, affigendo illi rationem entis; sed voluntas appetit malum & impossibile addendo illi rationem boni & possibilis: ergo æquè facit ens rationis. Deinde illa potentia facit ens rationis, quæ ordinat ad aliud id, quod non est ordinatum; voluntas hoc facit, Deum peccator ad se ipsum ordinat: ergo, &c. Denique intellectus facit ens rationis per secundam, & tertiam mentis operationem quæ supponunt primam operationem: ergo voluntas facere potest ens rationis, quamuis supponat actum intellectus.

Resp. verum quidem esse, quod voluntas fertur in malum sub ratione boni, & in impossibile sub ratione possibilis apprehensum; sed nego illam facere tamen propterea ens rationis, quod supponit factum ab intellectu. Vnde ad formam argumenti conceditur illa propositio: Intellectus facit ens rationis dum apprehendit ens impossibile affigendo illi rationem entis. Negatur verò minor: Voluntas appetit malum addendo illi rationem boni. Non enim voluntas est quæ addit rationem boni, sed supponit eam ab intellectu additam. Deinde nego etiam quod voluntas ordinet vnum ad aliud ad quod non est ordinatum, solus enim intellectus est qui ordinat, quia ille solus est, qui ordinem voluntati proponit. Denique disparitas inter intellectum & voluntatem est, quia secunda & tertia mentis operatio supponunt quidem primam, sed aliquid illi postea superaddunt, & aliquid fingunt quod prima non finxerat: at verò voluntas supponit totum suum obiectum fictum ab intellectu, sed non addit, neque fingit aliquid.

Obiicitur quarto. Fabricari ens rationis vel est imperfectio, vel est perfectio. Si primum: ergo minus conuenit intellectui potentia perfectissima

ma, quàm sensibus & voluntati. Si est perfectio, negari non debet Deo.

Resp. eodem argumento posse probari, quod bruta discuntur; si enim perfectio est, magis Deo conuenit; si est imperfectio, magis conuenit brutis quàm homini. Nego igitur illam partem: Si facere ens rationis est imperfectio, minus conuenit intellectui potentia perfectissima, quàm sensibus, quia ex maiori aliqua limitatione oritur vt voluntas & sensus facere non possint ens rationis, quod facere potest intellectus. Quia hæc est perfectio secundum quid quando oritur ex limitatione potentia, imperfectio autem simpliciter quando oritur ex defectu veritatis. Vnde illa est imperfectio in Deo, qui non esset prima veritas.

S. III.

Per quam actionem fiat ens rationis.

Illa est sine dubio intellectio, cum solus intellectus faciat ens rationis, quod solum habet esse obiectiue in intellectu. Non est autem opus vt omnis actio realis terminum extrinsecum realem habeat; terminus autem intrinsecus actionis est qualitas realis. Quando dicitur quod *obiectum semper specificat actionem*, significatur quod actiones semper diuersæ sunt speciei, quando habent diuersa obiecta; non significatur, quod actio sit in eadem specie, in qua est obiectum.

Difficultas igitur solum esse potest, vtum per primam mentis operationem, & per solam etiam præcisionem intellectus fieri possit ens rationis.

Dico tertio, per primam mentis operationem fieri posse verum ens rationis, non autem per solam præcisionem, quæ concipit vnum non concepto alio quod est coniunctum cum illo.

Primæ partis, quam negat aliqui cum Hurtado, ratio est, quia vno exteriorum impossibilium, v. g. vno trium essentiarum impossibilium in chintara, per primam apprehensionem cognosci potest, illa verò est ens rationis. Imò volentes concipere aliquod obiectum sicuti est, apprehendimus tamen illud aliter quàm sit, v. g. Deum volentes apprehendere, senem imaginantur; hoc autem sine dubio est fingere.

Dico quarto, per solam præcisionem intellectus non fieri ens rationis. Ita fusiùs demonstro *disp. tertio Metaphysica*, probans realitatem vniuersalem. Nunc breuiter

Ratio sit, quia illa cognitio non facit ens rationis cuius totum obiectum est reale, non autem fictum: præcisio huiusmodi est, cum enim cogitatur animal, non cogitato rationali, quod ei coniunctum, obiectum illud est animal quod non est ens fictum, sed vere reale. Verum est, quod si cogitarem animal esse solum à parte rei sine vllis differentiis contrahentibus, fingerem aliquid impossibile; cum autem cogito animal non cogitatis iis cum quibus coniunctum est, nihil cogito, quod non sit verum & reale: ergo præcisio pura non facit ens rationis. Confirmatur euidenter, quia sequeretur alioqui, nullam vnquam esse posse cognitionem humanam, quæ non faciat ens rationis, cum nulla omnino sit, quæ attingat omnes formalitates identificatas obiecto quod cogitatur, vt patebit ex *Metaphysica*.

Obiicitur primo. Ens rationis non fit sine aliqua falsitate: in apprehensione simplici non est falsitas: ergo per simplicem apprehensionem non fit ens rationis. Deinde fingere est attribuire vnum alteri,

Illa est intellectio.

Per primam operationem fit vniuersale.

Non fit per præcisionem solam.

Prima obiectio.

Disp. II. Quæst. II. de Vniuers. & Prædicab. 21

alteri: simplex apprehensio non attribuit vnum alteri: ergo non fingit.

Resp. ad ens rationis non requiri falsitatem complexam, sed sufficere incomplexam, cuius capacem esse primam apprehensionem, dicam *disp. 3.* Deinde nego quod fingere sit attribuire vnum alteri, sufficit enim quod cogitetur aliquid impossibile, v.g. cum cogito chimæram, simpliciter illam apprehendendo, nihil tribuo alteri, & tamen fingo.

Secunda obiectio.

Obicitur secundò, si sit ens rationis per primam apprehensionem, illud sit etiam per præcisionem, v.g. cum cogito animal non cogitatio rationali, sine quo tamen esse non potest. Dixi autem fieri ens rationis per primam apprehensionem: ergo sit etiam per præcisionem. Confirmatur primò. Per præcisionem concipitur obiectum aliter quam sit: ergo per eam aliquid fingitur. Confirmatur secundò. Illud ens est fictum, quod nec est, nec esse potest: rationale nec est sine animali, nec esse potest: ergo est ens fictum.

Resp. fieri ens rationis per primam apprehensionem cum cogitur aliquid quod nec est, nec esse potest; quando autem totum quod cogitur est reale, tunc nego fieri ens rationis per simplicem apprehensionem, unde nec fit per puram præcisionem, cuius totum obiectum reale est. Ad primam confirm. Resp. posse duobus modis concipi aliquid aliter, quàm sit: primò, non cogitando totum quod est, vt cum cogito rationale non cogitato animali, quod ei coniunctum est: secundò, cogitando aliquid quod nec est, nec potest esse, vt si cogitem rationale esse sine animali. Quoties primo modo aliquid cogitur aliter, quàm sit, nihil fingitur, neque fit ens rationis. Quando cogitur res aliter quàm sit, fit reuerà ens rationis. Per præcisionem puram res cogitur aliter quàm sit non cogitando totum id quod est; sed non cogitur aliquid quod non sit, nisi esset præcisio negatiua, quâ diceret esse rationale sine animali; hæc enim fictio esset, & ens rationis. Ad secundam confirm. distinguo illam minorem: sed rationale nec est, nec esse potest à parte rei sine animali coniuncto realiter, concedo; sine animali coniuncto per intellectum, nego. Animal enim quod cogitur non cogitatio rationali, est verè reale & à parte rei sine animali cogitatio per intellectum, & idè est verè reale. Neque valet illa instantia. Illud est ens rationis quod est tantum per intellectum: hoc, inquam, falsum est; nam operationes non sunt nisi per intellectum, & tamen reales sunt. Ad hoc ergo vt aliquid sit ens rationis requiritur vt sit tantum per intellectum fingentem aliquid impossibile. Sed hoc clarius erit ex *disp. 3. Metaph.* citata.

A causas, proprietates vniuersalium. Quam ego totam controuersiam plenè trado in Metaphysica cum Philosopho. Hic autem quæ traduntur à Porphyrio de vniuersalibus, & prædicabilibus in specie sigillatim persequens, primùm ago de numero eorum, deinde sigillatim venio ad genus, speciem, differentiam, proprium, & accidens.

SECTIO I.

Quid & quomplex sit vniuersale, ac prædicabile.

Certum est primò, vniuersale rectè definiti, *Est* *Definitio* *Vniuersale* *quod aptum inesse multis*, id est ens indiuisibile, diuisibile tamen in multa, in quibus multiplicetur; idè Deus non est vniuersalis, quia licet plures in Deo sint personæ, participantibus Dei naturam, in iis tamen natura illa non multiplicatur. Duo ergo sunt in vniuersali maxime mirabilia, vnitas, & pluralitas; sed illa est actualis, altera est solum potentialis. Implicat quidem aliquid esse vnum actu, & actu multa; sed est tamen difficile intelligere aliquid quod sit vnum actu, & possit esse multa, quæ adæquatè idem sunt cum eo quod diuidi videtur in multa; & hic est implicatissimus nodus de existentia ipsius vniuersalis, vtrum sit actu à parte rei, an verò tantum per operationem intellectus, & quænam illa sit operatio, dans existentiam obiectinam naturæ, quæ habeat unitatem, & tamen aptitudinem vt sit in pluribus; naturam aliquam quæ indiuisa sit, & tamen sit verè natura Petri, Pauli, Ioannis, imò omnium hominum, qui sunt reuerà plures. Hic est (inquam) nodus quem soluendum remitto in Metaphysicam. Nunc autem placet ita circa illum ludere cum Tyronibus Logicis.

Eximium in mole ludentis naturæ miraculum, sed arcanum coronatæ rationis, & triumphalis intelligentiæ simulacrum, *Pandiam* (narrat Cassiodorus) vnum omnes lapillos, thesaurum in puncto, pretium totius Indię in vno annulo. In illa se gemma vnus fulgor variæ lucis multiplici repercussione commiscens, fulgurat in adamantem, rubescit in carbunculum, in chrysolitum cyaneo candore flauescit. In hac & plura vides, quàm videre te posse scias, & falleris, nisi falli velis. Illam verè prædicas esse vnam, & mentiri times; multiplicem appellas, & volens deciperis; cum venetam aspicias, smaragdum vocas, & negas; cum blatteam, topazium dicis, & refugis: cum prasinam, chrysopasum existimas & reclamas, aduersarius tibi ipsi, tanto gemmarum copia ditior, quod in pluribus vnam habes, & in vna omnes.

*Pandias la-
pillos vnus
& plures, ex
Cassiodoro.*

Verum animorum ludibria illa sunt, non diuitiarum oculorum; vna in pluribus *Pandia*, & in vna plures: nisi naturas vniuersales in lapillo æmulari natura voluit, quas in scriniis suis inuenire nequaquam potuit. Naturas, inquam, vniuersales, sigilla gemmea rerum omnium, vertiles mundos, simulacra vera & picta, umbras omnicoles, sic vnas vt sint omnia indiuidua, sic plura vt nec communicabilitatem auferat vnitas, nec unitatem diffundat ex vno refusa pluralitas: vniuersum in puncto, rerum essentia sine rebus, ipsamet singulæ tota sine se ipsis; extra se posita, nec diuisa; vnum in pluribus.

*Imago vni-
uersalitatis.*

Quarit omnicoles huiusmodi gemmas fatigata iamdiu humana ratio, & qui parturit intra se ipsum vniuersalia intellectus, illa extra se ipsum auhelus exquirat; quod facit intra se ipsum, habere

*Fit per in-
tellectum
vniuersale.*

QVÆSTIO II.

De Vniuersalibus, & Prædicabilibus.

PVdit me in hoc Philosophiæ veluti propileo, primoque vestibulo, rudioribus statim Tyronum ingeniis quæstionem de vniuersalibus in genere vnam omnium obscurissimam, & difficillimam statim obicere, veritusque sum ne ab ineundo studio Philosophiæ eos abstererem, si ipso in aditu reperissent spectra formalitatum, præcisionum, distinctionum rationis ratiocinantis aut ratiocinatæ, aliaque huiusmodi per intellectum fabricata & excogitata ad explicandam naturam,